Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

solennia colimus, earum
apud te proxima festa...
Fratres. De, ad corinth.
virginibus preceptum
domini non habeo: consilium
autem do tanquam misericordiam
consecutus a deo ut sim
fidelis. Existimo enim
hoc bonum esse propter instan-
tem necessitatem: quoniam
bonum est homini sic esse.
Alligatus es uxori:
noli querere solutionem.
Solutus es ab uxore:
ne quesieris uxorem.
Si autem acceperis uxorem
non peccasti; et si nupse-
rit virgo non peccat. tri-
bulationem tamen carnis
habebunt huiusmodi.
Ego autem vobis parco.
Hoc itaque dico fratres.
Tempus breve est. Reliquum
est: ut et qui habent uxores
tanquam non habentes sint;
et qui flent tanquam non
flentes. et qui gaudent
tanquam non gaudentes.
et qui emunt tanquam non
possidentes. et qui utuntur
hoc mundo tanquam non
utantur. Preterit enim figura
huius mundi. Volo autem
vos sine sollicitudine esse.
Qui sine uxore est solli-
citus est que domini sunt:
quomodo placeat deo. Qui
autem cum uxore est solli-
citus est que sunt mundi
quomodo placeat uxori: et
divisus est. Et mulier
innupta et virgo cogitat
que domini sunt: ut sit sancta
et corpore et spiritu: in christo
ihesu domino nostro. Gr. Glo-
riosus deus in sanctis suis mi-
rabilis in maiestate faciens
prodigia. V. Dextera tua domine
glorificata est in virtute dextera
manus tua confregit inimicum.
Alleluia: Adducentur regi vir-
gines post eam proxime eius of-
ferentur tibi in leticia. Infra
lxx. tractus. Qui seminant.
Ewangelium. Simile est regnum celorum decem virginibus.
Offertorium. Offerentur. ut. Secreta.
Grata tibi sit domine
plebis tue oblatio